



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum  
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ  
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

Q. 2. An licet occidere uxorem, vel Filiam in adulterio deprehensam, vel  
ipsum adulterum?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**

delinquentem; quia (ut ait S. Thom. 2. 2. q. 65. a. 2.) *Per verberationem nocumentum inferatur corpori ejus, qui verberatur; nocumentum autem inferre alicui non licet, nisi per modum pœnæ propter justitiam.* Nullus autem justè punit aliquem, nisi sit ejus jurisdictioni subjectus. Et ideo verberare aliquem non licet, nisi habenti potestatem aliquam super illum, qui verberatur. Et quia filius subditur potestati Patris, & servus potestati Domini, licetè potest verberare Pater Filium, & Dominus servum, causâ correctionis & disciplinae. Idem dic de Magistro, & tutore; quia gerunt vicem Patris.

**Q 2.** *An licet occidere uxorem, vel Filiam in adulterio deprehensam, vel ipsum adulterum?*

**Resp.** Neg. *Est communis.* Prob. ex cap. Inter hec & seq. 33. q. 2. & ex S. Aug. lib. 2. de adulter. conjug. cap. 15, ibi: *Non licet uxorem adulteram accidere, sed tantum dimittere.* 2. *Quia* non licet propriâ auctoritate, ut patet; neque etiam ullâ lege humanâ potest id fieri licitum: tum quia ubi observari potest ordo judicii, iniquum est Reum inauditum, destitutum omnî defensionis remedio, nullo servato Juris ordine, & sine judicio punire, pœnæq; execu-  
tionem committere ipsi offenso, & quidem illico, cùm animus recenti offensa maximè pertur-  
batus est. Hinc Reg. Jur. 136. *Non est singulis concedendum, quod per Magistratum publicè fieri*

O s p o s s i t .

*possit.* Tum quia est contra charitatem sine urgenti necessitate recusare reo spatum ad pœnitentiam, sed illum statim cum periculo certo damnationis æternæ occidere. 3. Alexand. VII. damnavit hanc propos. *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio reprehensam.* Porrò leges civiles, quæ hoc factum non improbant, id faciunt per meram tolerantiam, ne videantur favere adulteris, & ob justum, ac gravissimum dolorem in tali casu, & vehementiorem iræ motum; quem quis facile temperare nequit.

*Q. 3. An licet seipsum occidere, vel mutilare?*

*Resp. I.* Non licet sine auctoritate divina seipsum occidere. *Ita omnes.* Constat 1. ex S. Aug. lib. 1. de Civit. cap. 17. & can. 10. & seq. 23. q. 5. & ex generali præcepto, *Non occides.* 2. Quia homo non est Dominus suæ vitæ, sed solus Deus, ex Deut. 32. *Ego occidam, & ego vivere faciam.* Ergo homo non potest sine auctoritate Dei seipsum destruere; nam est illicitum, & injustum destruere rei alterius sine ejus consensu, & jus ejus usurpare: destrucción enim rei propria auctoritate facta, est actus Domini in illam. 3. *Quælibet pars id, quod est, est totius: quilibet autem homo est pars communitatis: unde in hoc, quod seipsum interficit, injuriam communitati facit.* ait S. Thom. q. 64. a. 5. Porro Martyres, qui se in rogum con-  
jecere,